

Joachim Heinrich Pries

**Viro ... Joh. Petr. Schmidio, J. U. D. et Prof. Publ. Ordinar. hodie ad diem 31. Jan. publice introducendo novam spartam submissee gratulatur, et De Gloria Academiæ Rostochiensis Ex Professoribus Suis Aliorsum Evocatis**

Rostochii: Adlerus, [1736]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774629525>

Druck Freier  Zugang



~~24~~ VIRO 25.

PRÆNOBILISSIMO, EXCEL-  
LENTISSIMO, CONSULTIS-  
SIMO, nec non DOCTISSIMO,

DN. JOH. PETR.  
SCHMIDIO,

J. U. D. & Prof. Publ. Ordinar.

hodie ad diem 31. Jan. publice introducendo  
novam spartam submississe gratulatur, &

DE

GLORIA ACADEMIÆ  
ROSTOCHIENSIS EX  
PROFESSORIBUS SUIS  
ALIORSUM EVOCATIS

in transitu differit

JOACH. HENR. PRIES, R  
S. S. Theol. Studiosus.



ROSTOCHII,

Typis JOH. JACOB, ADLERI, SEREN. PRINC. & ACAD.  
Typogr.





VIR EXCELLENTISSIME,  
& DOCTISSIME !

**L**æto TIBI omine, abs Amplissimo Reipublicæ Rostochien-  
sis Senatu Academiæ nostræ comparono munificentissi-  
mo, impositam Academiæ spartam hodie ingredienti, non  
potui non meam quæcumque observantiam tenuibus hi-  
sce pagellis gratulabundus testari. Quod dum jam a  
me efflagitat eximium illud, quo me Tibi devinxisti favoris vin-  
culum, non meliori ratione hoc negotium putavi expediendum,  
quam si thema quodpiam faustissimæ huic occasione congruens,  
pertractandum mihi sumerem, non ut ingenium & doctrinam o-  
stentare (neutrum enim a me poterit exspectari) sed ut meam  
potius devotam Tibi mentem explicare & declarare possem,

Mens erat alioquin *de commodis & incommodis, quæ respubli-  
ca litteraria ex multitudine Academiarum cepit* Tuo excellentissimo  
nomini inscribere, verum cum multæ id potius dissuadere mihi  
viderentur fonticæ causæ, excellentioribus ea excutienda ingeniis  
relinquere satius duxi, & quam horis meis subscevis aliquando  
collegi micrologiæ litterariæ paticulam :

DE GLORIA ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS EX PRO-

FESSORIBUS SUIS ALIORSUM EVOCATIS.

ceu materiam muneri, quod hodie suscipis, accomodatorem, do-  
ctissimo Tuo & acutissimo iudicio submittere volui, cui si tantum  
placet, non curabo Zoilorum & scilorum sinistra iudicia, quibus  
gloriam



gloriam almæ nostræ invidioso terere dente, & quavis occasione  
fugillare non intermittunt. Omni enim, jam a fundatione sua,  
tempore Academia nostra Varo-Baltica suos experta est obtrectatores,  
suosque vidit Momos & fycophantas (nulla enim sine spinis rosa)  
quos suo jam tempore egregie confutavit *Petrus Lindenbergius in  
Chronico Rostochiensî Libr. V. Cap. I. p. 142.* Nec desunt hodie,  
qui Academiam nostram, eo quod ad genium novaturientis seculi  
se componere cessat, & illud quod est novissimi moris in repu-  
blica litteraria imitari detrectatur, alto, ceu dicunt supercilio con-  
temnunt, videbunt hi gloriam Academiæ nostræ apud exteras gen-  
tes & provincias egregie resplendescentem, & quomodo eæ semper  
studuerint, indigenarum nostrorum egregiam doctrinæ supellecti-  
lem & plane admirabilem Polyhistoriam lectissimæ eruditorum suo-  
rum coronæ inferere & adscribere.

Sed ut levissimæ huic tractationi decus quasi & ornatum con-  
ciliem verba allegabo B. FECHTII, quæ basin & fundamentum  
quasi totius, quidquid hic est operis sustinebunt. Ita vero lauda-  
tissimus ille & fortissimus in palæstra DEI & veræ ecclesiæ athleta  
*Progr. ad Dissertat. Inauguralem B. Joh. Gottl. MOLLERI: Hæc po-  
tissimum Academia nostra, scribit, jamdiu est, quod seminarium veluti  
quoddam audit doctorum, hinc, inde in scholas ecclesiasque aliarum re-  
gionum translatorum.* Hæc mihi verba a tanto Theologo prolata  
iterum iterumque legenti, digna visa sunt altiori indagine, & pro  
virium modulo brevi commentatione, quæ ut rite procedat, ante  
omnia inquirenda erit quæstio: An liceat cuiquam, publicum mu-  
nus jamjam gerenti, salva conscientia illud relinquere, & ad aliam  
spartam sibi oblatam transire? si antiqua tempora specto, & cum  
iis decreta conciliorum, praxin Ecclesiæ, & placita Juris Canonici  
confero, quæstio erit in negativam decidenda. Prodeunt enim ex  
Conciliis, & Synodis, Nicænum, Arelatensis, Antiochenum, S Sar-  
dicense, Chalcedonense, Carthaginense IV, Rhemense I, Turonense  
III, Meldense, Triburiense, & Canones (ita dicti) Apostolum, in  
universum asserentia: Translationem ab ecclesia ad ecclesiam non  
licere Episcopis, (\*) quibus ex Theologis præter MATHESIUM, &

A 2

PAUL.

(\*) Vid. Joh. Andr. Schmidii Disput. de translatione Episcoporum  
ab ecclesia majori ad minorem §. I. p. 7. (r) in instruct. Pastor  
pag



PAUL. TARNOVIUM nostratem, se adjungit ex Calvinianis  
 FRANC. JUNIUS. Verum cum in nostra ecclesia doceatur, non  
 tribuendam esse Conciliis infallibilitatem absolutam, (ut cum schola  
 loquar) nec jurandum esse in verba privati cujuslibet ecclesiae Do-  
 ctoris, sufficientes iis opponimus rationes, & consensum ecclesiae  
 nostrae. Qui prius desiderat, perpendat ecclesiae conditionem, ma-  
 jores, quae subinde se offerunt occasiones DEO & ecclesiae inservi-  
 endi, & obligationem nostram ad pignora nobis concessa majori  
 cum fenore exponenda. Qui posterius, adeat ex Theologis,  
 FECHTIUM, (1) QUISTORPIUM, (2) BUDDEUM, (3) DEDE-  
 KENNUM, (4) SPENERUM, (5) & ex JCris ZIEGLERUM, (6)  
 & BOEHMERUM: (7) Atque ideo Historia ecclesiastica & littera-  
 ria Seculi XVI., ubi in magna ecclesiae messe minima pars erat la-  
 borantium, adeo frequens est migrationum Theologorum & erudi-  
 torum. Confirmat idem, quem postea citabo, summe Rev. Theo-  
 logorum nostrorum ordo, qui in alias non minus ecclesias quam  
 Academias evocati secesserunt. Eadem dicamus necesse est, in  
 quibus etiam specialem DEI providentiam veneramus, de repu-  
 blica litteraria & Politica, in quas aliorum ex hac nostra Acade-  
 mia catervatim velut Colonias deducti sunt multi ob doctrinae &  
 immortalis gloriae famam viri, numquam non posteritati veneran-  
 di. Tantum ergo abest, ut quispiam horum virorum laudabili in-  
 stinctui DEO, ecclesiae & reipublicae inserviendi, malae famae no-  
 ram inurere possit, nisi forte cum Carolo studio, Godofr. Arnolfo,  
 aut cum fanaticis aliis sit publicorum munerum ecclesiasticorum  
 & Academicorum contemtor, & malefanus Divinae ordinationis o-  
 sor; ut potius magnae id ipsum laudi ipsis sit habendum, quod  
 Divino nutui, qui ceu vineae Dominus per ministerium eorum et-  
 iam in aliis locis ecclesiam & bonarum artium officinas plantari &  
 instrui volebat, semet non subtraxerint.

Possem hic vir Excellentissime & Doctissime! si ambagibus  
 delectarer in amplissimum exspatiari campum, possem si alios, qui  
 micrologiam litterariam descripserunt, imitari vellem, biographias &  
 singu

---

pag. 26. (2) Disput. de migrationibus Clericorum. (3) Inst. Theol.  
 Mor. Part. III. C. III. §. 3. (4) Append. Consil. fol. 472. (5) Consil.  
 Germ. Tom. ult. Part. I. Cap. 2. art. 2. Sect. 28. pag. 416. (6) In cle-  
 rico renitente. (7) In Juris Eccles. Protest. libr. I. tit. VII.



singularia eruditorum, quos hic produco, adjicere. Verum cum has minutias proposito meo magis obesse, quam prodesse facile prævideam, lubens iis abstineo, ut ne in tractatum epistola exerceat, & vanam aut in nimium extravagantem memoriam indicare videar. Possem in horum numerum referre splendidissimos viros, quos S. R. ministerium Rostochiense aliis ecclesiis concessit, at vero mittam eos, quos recensere nil aliud foret, quam B. GRAPPI Rostochium evangelicum ex charta in papyrum describere, aut cum officiis ecclesiasticis Academica confundere. Placuit autem particulam hanc Historiæ Academiæ nostræ mihi descripturo, ordine Geographico progredi, ut quid singulæ Provinciæ Rostochio debeant, eo clarius & uberius pateat.

Efflagitat autem dulcissimæ patriæ meæ amor, ut quos ex gremio suo dimisit alma mater professores suos, reipublicæ & Ecclesiæ Megapoleos profuturos, prius dispiciam, quam ad exterarum gentes & Provincias excurram. AULA serenissimorum Ducum nostrorum primum me ad se rapit, debita ex pietate qua Celsissimo Patriæ patri devinctus sum. In hac illustria adhuc sunt nomina Professorum nostrorum JAC. puto BORDINGII, filii (non confundendi cum Patre Medico, de quo deinceps, dicendi se offeret occasio) Fuit is Vir clarissimus, & honoratus propter patrem, (prout in membranis Maric. Acad. vocatur) Juris antea Professor in hac Academia *vid. præter Kirchmanni orationem: De Jacobo Bordingio, Melch. Adamum in Vita JCoorum.* Vocavit eum deinceps Seren. Dux ULRICUS glorios. memoriæ in aulam suam Güstroviensem, ubi ex consiliario factus est Cancellarius. Gratia Principis in eum tanta fuit, ut cum Bordingus nosset 1579. d. 13. Aug. Doctor in hac alma crearetur, in publica hac Panegyri aureo torque per Martinum Bolfrasium enim ornare jussit *vid. l. c.* Excellentia hujus viri merita in Academiam nostram hic referre non lubet, *vid. interim de iis B. Schürzius in vita Chytrai Part. III. pag. 70. & 428.* Idem honoris culmen ascendit Academiæ olim decus singularæ ERN. CQTHMANNUS antea Consiliarius Principis ULRICI, & ab anno 1595. Juris Professor in hac alma Celeb. & 1610. a Ser. Duce JOH. ALBERTO ad Cancellarii munus evehctus. *Vid. præ ceteris S. R. D. D. ÆPINUS Disput. De meritis Westphalorum & c. pag. 25.* Sub initium hujus seculi anno nempe 1700. Academiæ nostræ publicè valedixit vir quondam Illustris & excellentissimus Dn.



**JOH. a KLEIN** Potentiss. Reginae Borussiae beatiss. recordat, & Sereniss. Principis Consiliarius intimus & Cancellarius, qui tamen munera Academica & in Concilio sessionem sibi reservavit, ac toties, quoties ad eam pertingebat ordo, Rectoris munere, aut quando ob negotia aulica non potuit ipse praesens esse, per Pro-Rectorem functus est, anno nempe 1704. 1710. & 1713. Ejus vitam exhibent *Habibhorstius in Rostochio litterato pag. 112. seqq. & Programma funebre 1732.* Eodem modo Illustris Joh. Joach. SCHOEPPFERUS, Academiae nostrae & Ampliss. Facult. Jurid. in ea membrum, in aulam Ducis vocatus, duplicem sustinuit cum laude honorem. Non enim solum quoad vixit Professoris munus gessit, sed etiam anno hujus seculi VIIIvo a Sereniss. Principe Mecklenburgensi Consiliarius justitiae denominatus, & Cancellariae hac in urbe praefectus est Vice-Director, ac deinceps anno XVto, postquam ex Academia Kiloniensi huc revocatus erat, in illustre Collegium Consiliariorum intimorum receptus est. *Vid. Programma in obitum ejus 1719.* Ex Principum aula in ECCLESIAM DEI progredior, inquisiturus, quosnam ecclesiae Megapoleos nostrae antistites dederit Academia. Primus hoc nomine vocandus mihi venit Josua ARNDIUS, Professor antea Logices Ducalis. Is enim 1656. in aulam Ducis GUSTAVI ADOLPHI accersitus, ubi ei ministerium aulicum & Bibliothecae Ducalis Praefectura imposita est. *Vid. Caroli Arndii fama Arndiana reflorescens, quae inserta legitur in Pippingii Memoriis Theologor. Decad. II. pag. 165. seqq.* Quadriennium expiraverat, cum Jos. Arndium secutus est, HERM. SCHUCKMANNUS, Celeb. hic olim Theologiae Professor, quem Gustrovium vocatum reperio, ut ibi summam ecclesiarum curam vulgo Superintendenturam gereret, factum id 1662. esse, testatur *B. Grapius in Evangel. Rostock p. 558.* Caeterum qui de splendidissima Schuckmannorum familia quidpiam & de Hermanno speciatim desiderat, addere potest S. R. D. D. AEPINUM. Sched. de gentis *Schuckmanniana in Ducatum Mecklenburgensem meritis.* Jungimus ecclesiae Gustroviensi, Ducale, quod ibi floreret, Gymnasium, quoniam teste B. Luthero Scholae sunt femora & columnae ecclesiae. Hujus Recturae praepositus est Joach. MANTZEI., graecae Ling. olim hic Prof. Publ. magno cum fructu per aliquod tempus ibi docens. *Vid. B. Thomam in analectis Gustroviensibus.* Ex Diocesi Gustroviensi pedem promoveo ad Parchimensem. Recepti ea 1713, ex nostra Academia virum. Si

Rever.



Rever. & Celeb. D. Henr. Alcan. ENGELCKENIUM, Theol. hic Prof. Extraord. ante biennium magnò cum luctu & merore totius orthodoxæ ecclesiæ mortalitati ereptum. Gessit is ipse summa cum laude, & maximis meritis conspicuus curam ecclesiarum Districtuum Parchimensis & Mecklenburgensis per multos annos, de quo plura dabit *S. R. D. D. Engelckenii nostri Programma piis ejus manibus conscriptum* 1734.

Amice conspirant inter se respublica & Academia Rostochiensis, eo quod dimidiam Professorum partem suis sumibus & memorabili munificentia alar, adeoque Ampliss. Senatus almæ hujus Compatronatum gerat. Quid ergo æquius est, quam si Academia reddat reipublicæ viros, quos ab ea tulit acceptos, præ reliquis dignos, qui clavum Reipubl. teneant, Hujus etiam mutationis præclara existant documenta, Primur, quoad meam incidit notitiam est D. Jac. LEMBKENII, Juris Profess. 1691. in Consulem hic cooptati. Hujus viri 1693. placide iterum defuncti locum occupavit, eodem anno B. D. CHRIST. REDEKER Juris etiam hic antea Professor. vid. *Habichhorstius in Rostoch. Litter. pag. 196. seqq.* Recentissimum nostræ Academiæ dedit exemplum Vir Consultissimus & Excellentissimus D. JOH. CHRIST. PETERSEN, S. Reg. Majest. Magnæ Britannia & Elect. Luneburg. Consiliarius, Judicii Provincialis Lauenburgici Assessor ordinarius, & Reipublicæ Rostochiensis Consul primarius, & de ea optime meritus, Patronus meus & fautor omni honoris cultu devenerandus, qui anno 1731. ex Academiæ membro factus est Musarum nostrarum Patronus, quemque DEUS in florem Roseti, & splendorem gentis suæ diu adhuc jubeat florere & vigere. Magni hujus viri vita & scripta exhibentur in Gottenii *igt lebenden Gelehrten Europa*. Vicina est Rostochio nostro WISMARIA, quæ ex Academiæ nostræ gremio 1677. protraxit M. Jac. Hier. LOCHNERUM, per biennium hic Poeseos Professore, Pastorem ibi Nicolaitanum futurum, de quo plura videri possunt apud *Pippingium in Memor. Theol. pag. 821. & Pl. Rev. D. M. Schroederum in der Wismaris Prediger Historie p. 218.* Nec minus Regium illud tribunal, quod ibi viget, ex nostris Professoribus 1727. recepit virum Prænobilissimum & Doctissimum D. Joach. Henr. SIBRANDUM, Juris hic antea Professore, officio suo adhuc (saxit DEUS quam diutissime) cum laude fungentem. Nunc ad exteros erit excurrendum, ubi Wismariam excipit LÜBECA, Hæc  
1686,



1686. duos e nostris Professoribus publicis muneribus admovit. Vocavit ea enim Georg. RADOVIUM Celeb. apud nos Jctum, ut Synodici vices in libera hac S. R. Imperii civitate obiret, & Enoch. SVANTENIUM Poeseos Profess. Ducalem, cui spartam Rectoris florentissimi sui Lycei imponeret, teste *B. Grapio in Evang. Rostock. pag. 566.* Haud prope Lubecam distat HAMBURGUM, cujus S. R. ministerium ecclesiasticum, quod ob viros orthodoxia, doctrina, eruditione & vitæ sinceritate maxime conspicuos, semper fuit celeberrimum & laudatissimum, plerosque inclytos in nostris oris Theologos sibi vindicare studuit. Anno enim 1657. D. Joh. CORFINIUS junior, hæctenus hic Rostochii Prof. Phys. & Metaph. ac ad ædem D. Jacobi ecclesiastes secessit Hamburgum vocatus Pastor templi D. Catharinæ, scripta ejus & vitam breviter perceruset *B. Grapius in Evangel. Rostock pag. 1876* Quinquennio post, anno scilicet 1661. magnum ecclesiæ & Academiae lumen ex nostra in Hamburgensem ecclesiam transpositum est, Caspar. puto MAURITIUM S. S. Theol. Prof. & Pastorem Marianum, Hamburgi autem in Pastorum Jacobæo celebris SCHUPPII successorem. Ægerrime huncce virum Rostochiensis dimiserunt, ob egregia plane & singularia, quæ Theologum perficiunt & exornant dona, *Conf. hic Wittenii Memor. Theol. Decad. 15 num. 1. pag. 1858.* Æqualem Mauritio Theologum receperunt a nobis Hamburgenses præterito seculo ad finem ferme decurrente, anno nimirum 1698. in viro S. R. & Doctissimo D. D. Francisco WOLFFIO S. S. Theol. quondam in hac Academia Professore Celeb. ad D. Mariæ ædem Pastore meritissimo, & in Collegio Senatorio Seniori, cui Pastoratus Nicolaitanus demandatus est. Cujus memoria adhuc apud nos floret in benedictione. Hamburgo Albim transnavigantibus STADA se offert, Est in ea non incelebre nomen D. Joh. Christoph. OTTONIS, Profess. Theol. in hac Academia, Stadæ deinceps 1663. Pastoris templi Cosmæ & Damiani, ut & Consistorii Assessoris, referente S. R. D. D. ÆPINO, *Disp. de meritis Westphalorum &c. pag. 20.* Floret & in ea Gymnasium. tum ob viros qui in eo docuerunt, quam qui ex eo prodierunt, celeberrimum, huic ex Academia nostræ Professoribus 1691. præpositus est Aug. VARENIUS, magni apud nos Theologi filius unicus, non amplius uno mense in hac Academia Eloquentiæ Professor, restantibus id Membr. Matr. Acad. ad h. a. Albim annum relinquens ad Visurgim exspatior, ubi

BRE.



**BREMENSE** Gymnasium meis se ficit oculis, merita laudans & evehens, quæ Rostochienfi Professore Nath. CHYTRÆO confirmatissimi Theologi Dav. Chytræi fratri debet. Fuerat is Professor Poëseos in hac Academia, & Scholæ Rostochianæ primus post Reformationem Rector, vir sane omnium judicio, & de Academia & schola meritissimus, abs Joh. Lindenbergio in Chronico Rostoch. pag. 174. Poëta inter elegantiores Princeps vocatus, majori tamen laude dignus, nisi eam apostasia, ex Lutherano factus Calvinista, commaculasset. Is cum ob publice confessam Calvinianorum Doctrinam (quod fufius enarrat Grapius in Evang. Rostock pag. 432.) abs Amplissimo Senatu Rectoris munere dejectus fuisset, professionem autem sponte deposuisset 1593. Breman abiens, Calvinianis semet adjunxit, Rectura ibi fungens. Vid. præter allegatum Grapium, *Schurzium in vita Chytræi Part. IV. pag. 94.* Mandat nunc receptus ordo in vicinia remanere, &

**LUNEBURGENSES** invifere, ubi Præfulatus hujus civitatis mentionem injicit evocati 1693. Godofr. WEISSII, qui ex Græcæ Linguae Professore & ecclesiaste Nicolaitano factus est antistes Lüneburgensis, de qua ejus vocatione plura dabit B. Fechtii Programma ejus Dissert. Inaugur. præfixum.

**GVELPHERBYTANA** ecclesia accepit ex nostris Joach. LÜTKEMANNUM Physic. & Metaph. hic antea Professore & Archidiaconum Jacobæum ex controversia illa: An Christus in triduo mortis fuerit verus homo? apud nos notissimum. Cujus historiam præter Grapium l. c. pag. 506. tradit Rethmeyerus in vita Joach. Lütkemanni editioni ejus *Vorschnack's der Göttlichen Güte* 1720. præfixa. Durante adhuc controversia illa ad suscipiendam Superintenduram generalem dehinc abiit 1649., atque hanc suam vocationem in Præfat. libelli citati ipse vocat: *Einen wunderlichen Zug.* Nunc me tandem

**HANNOVERA**, & qui ad Pastoratum in ea obeundum statim post fatale urbis nostræ incendium 1677. ex Academia exierat Professor antea Poëseos, famosissimus ille Chiliastarum antesignanus Joh. Wilh. PETERSEN, speciem adhuc orthodoxi ecclesiæ Lutheranae Doctoris præ se ferens, ad se vocat. Gratulari sibi Academia nostra poterit, quod eum ex sinu suo dimiserit, falsis nondum & Scri-

B

pturæ



pturæ S. aut Libr. Symbol. e contrario adversis sententiis occupatum, saltem nondum publice professum. De reliquo, an Peterseuii Professio hac in Academia administrata, & Doctoris gradus, quo eum S. R. Facultas Theologica mastravit, ornamentum nostræ Academiæ fuerit, quaestio est a *B. Fechtio in Programmate Inaug. B. Hanfchii* in negativam decisa. Majorem gloriam & honorem alma nostra Rosarum consecuta est, ex doctissimis & Excellentissimis Professoribus suis, quos in recens tunc conditam Academiam Juliam ablegavit, quique perquam egregia eruditione sua maximam laudem & splendorem, non solum sibi, sed &

HELMSTADIO suo contraxerunt. Horum in numerum ponendus est eximius, & multis ex scriptis notissimus Jctus hujus Academiæ Professor, & Reipublicæ Syndicus Joh. a BORCHOLTEN, cujus vitam breviter descripsit *Adami in vitis Jctorum*. Eodem enim, quo illustris Academia Helmstadiensis inaugurata est, anno nempe 1576. hanc novam Musarum sedem sibi elegit, malo hic verbis *Joh. Lindenbergii in Chron. Rostock. pag. 171* loqui, ut magna hujus viri erudito & nominis gloria eo facilius pateat, *ita autem professorem hic egit, scribit, omnium fere Juris antistitum, hac nostra aetate viventium coryphaeus Joannes Borcholtus, qui variis & nunquam intermorituris scriptis, nominis sui gloriam in florentissima totius Europæ regna disseminavit, & huic Reipublicæ salutaribus suis consiliis, quorum erat promus condus felicissimus, multos annos fideliter inservivit.* Parem, de quo gloriari potest, Helmstadiensis ex nostra Academia accepit virum, Polyhistorum illum celeberrimum, archigoragorum sapientiæ Ducem JOH. CASLIUM, Eloquentiæ hic Professore. Tantum hic sibi applausum, tantamque Principis elementiam excellenti profus eruditione sua promeritus erat, ut licet humanissime abs Celissimo Principe Brunsvicensi JULIO Academiæ Helmstadiensis conditore expetitur, nollet tamen Princeps noster dimittere, usque dum tandem 1587. votis Principis HENRICI JULII cederet, & egregium plane huncce virum Helmstadiensibus Musis inferi pateretur, ad quas etiam eodem anno habita publica oratione valedictoria, deinceps edita, abiit. Torum hoc vocationis negotium cum biographia Caselii exhibet *Reimannar in der Einleitung in die Historiam Litterariam derer Teutschen Part. V. pag. 70. seqq.* Devenio nunc ad incomparabilem Polyhisto-



Iyhistorem Rostochiensem & Helmstadiensem prout Reimmanno l. e. Part. III. pag. 561. audit, virum ejus egregia merita indigna sunt, quæ in obscuro deliteant, vid. *Morbosi Polybistor* pag 19. num. 26. non solum nomine sed & omine MAGNUM PEGELIUM, Philosophi & Medicinæ Doctorem, & in hac alma Profess. Publicum, ejus inventa laudat & enumerat *Paschius de inventis nov-antiquis Cap. VII. pag. 635. seqq.* Accepisse a nobis almam Juliam huncce virum adductis ex locis patet, licet non accurate annum definire possim, quo ex nobis emigrarit, probabile tamen est contigisse abitum ejus circa finem Seculi XVI., ab anno enim 1693., ubi ultimo Rectoratum gessit, in membranis Matric Acad. memoria ejus non amplius invenitur. Prima ergo gloriæ sua semina Helmstadium nostro debet Rofeto, habet ideirco fat sufficientis rationis, quod merita Rostochiensem in se grata agnoscat & evehat mente. Abibo nunc ex circulo Saxoniae inferioris, in *SAXONIAM SUPERIOREM*, Poscit enim memoria Joh. Georg. GOEDELMANNI Jcti eximii & B. Dav. Chytræi nostratis generi gratam recordationem. Juris Professioni in hac Academia publice præfuit, vir ob multa scripta nitidissima, & præsertim ob tractatum: De magis, veneficis & lamiis, plus simplice vice recusum, in Historia litteraria famigeratissimus. Evocatus est is ipse 1592. in aulam Electoris Saxoniae, ubi Consilarii aulici provinciae & Comitum Palatini Cæsarei honore exornatus, varias legationes cum laude sustinuit. Vid. vitam ejus recensentem *Adamum in vitis Jctorum*. Celeberrima in republica litteraria Academia est superioris Saxoniae alma

LIPSIENSIS. Florent in ea merita B. D. Gottlob. Friedr. SELIGMANNI, S. S. Theol. Profess. & Pastoris Thomani, quæ & tandem apud nos non involventur oblivionis peplo, quamdiu Archidiaconatus Jacobæus, in Academia Professio Physices & Metaphys. dignis vigent successoribus, & scripta ejus Rostochiensia, quæ cum reliquis ejus operibus Lipsiensibus a B. Pippingio duobus voluminibus edita sunt, a Theologis & Philosophis æstimantur. Sed est quæ me ex Saxoniam retrahit.

POMERANIA, & in ea primum Camminensis Principatus, cui Superintendentem generalem misit Academia Varniaca Georgium VI NETUM, Ducis Pomeraniae simul concionatorem aulicum, antea



hic Professore Theologiae. Hujus viri munerum ordinem immutat **das Gelehrten-Lexicon** Part. II. pag. 1671. Postponit enim, quae anteponenda erat functionem ejus in Academia Regiomontana, vid. autem in contrarium solertissimum Historiae Academiae nostrae concinnatorem *B. Schützius in vita Chytrai Part. I. pag. 163* & Rollium in *Bibliotheca nobilium Theologorum pag. 218*. Academiae nostrae vel ideo notandus erit, quod primus in ea post Reformationem fuerit, qui gradum Doctoris Dav. Chytrao, Joh. Kittelio, & Sim. Pauli Collegis hic docentibus, conferreret, cum nemo hic esset Theologiae Doctor, qui Decanatum sustinere posset, & Georg. Venetus expresse cum Jacobo Rungio Theologo Gryphico, Cancellarii vices obeunte, ad hoc negotium invitatus esset, vid. Programmata ejus quibus Promotionem hanc indixit in *Scripti Acad. Rostoch. publicis fol. 102. § III*. Ad idem & supremum officiorum ecclesiasticorum fastigium **ACADEMIA GRYPHICA** evexit Theologum quondam Rostochensem summum & Celeberrimum, Generosum Albertum Joach. a **KRAKEVITZ**, jam anno 1715, in locum immortalis gloriae Theologi B. Joh. Friedr. **MAYERI** vocatum Ducatus Pomeraniae & Principatus Rugiae antistitem supremum & generalem, Consistorii Regii Praesidem & Acad. Gryphicae Professore Theolog. primarium, anno tamen 1721, intra tempus adhuc Rectoratus sui discedentem, ad capeffenda munera quibus jamjam Proavus ejus D. Bartholdus a Krakevitz praefuerat. Vid. *Krakevitzii Disput. sub Praesid. B. Fechtii: De nobilitate studii Theologici §. XXVII*. Caeterum memoratus hicce B. Krakevitzius in Lexico eruditorum perperam vocatur eques Holstaeus, cum potius sit Mecklenburgicus, natus Gevezini, quod est nobile feudum in districtu Stargardiensi: eandem censuram mereretur allatus in eo dies ejus emortualis, qui ad diem 22. Maji rejicitur, cum tamen ad d. 2. Maji ad caelites abierit. Vid. qui vitam ejus descripserunt, *Habichborstium in Rostoch. Litterato, Rollius in Biblioth. nobil. Theologor. pag. 156. § Programma funebre, quod strictim excerptiur in novellis Lipsiensibus 1732*. Notabilissimum illud Joh. Gottl. **MÖLLERI** exemplum me nunc deducit ad Athenaeum

**GEDANENSE**. Vocabatur vir ille doctissimus 1696, ad Philosophiam in eo publice docendam, & Bibliothecae curam gerendam, cum jamjam in hac Academia Graec. Linguae Professor per biennium



ennium fuisset. Utrâque ergo officia conjungebat, alterum anni semestri Rostochiensis, alterum Professioni sua in Patria dicans, quibus magna cura & diligentia invigilans, sub initium novi seculi XVIII. decebat, Vid. *Nova literaria maris Baltici ad annum 1700.* Cuius rei plura exempla præter illud B. Joh. Fridr. MAYERI apud Hamburgenses Pastoris, & simul Professoris Theolog. honorarii in Academica Kiloniensi, non facile obvia esse credo.

Succedat nunc Academia REGIOMONTANA, quæ sinu suo excepit Joh. AURIFABRUM Profess. Theologiæ, & Pastorem Nicolaitanum Rostochiensẽ, de quo eo pauciora habeo commemoranda, cum quæ dicenda forent, jamjam attuli in Dissertat. mea sub Præsidio Magnifici D. WOLFFII nuperrime habita: *De Phil. Melanchthonis in Academiam Rostochiensem Meritis* §. IX. pag. 27. Relinquam nunc dulce Germaniæ gremium, & in Daniam transeam

HAFNIAM ingressurus. Jucunda hic sunt nomina Professorum Rostochiensium, e quibus primum excito Jac. BORDINGUM patrem, virum miraculose doctum, vid. *Petrum Lindenbergium l. c. p. 172.* Fuit hic vir de nostra Academia restauranda maxime meritis, quem postmodum anno nempe 1557. ob artis suæ peritiam, medendi fidem, & multiplicem in universa Philosophia doctrinam Christianus III. Danorum Rex in corporis sui tutelam, & sanitatis conservandæ præsidium adscivit. Ossa hujus viri 1560. Hassniæ mortui placide hic recubant in templo Mariano, ejusque epitaphium excirat ex *Nat. Cbytræi Variorum itinerum in Europa delictis* pag. 511. *B. Grapius im Evangelischen Rostock* p. 113. Jungimus huic viro Theologum non minoris eruditionis & nominis famæ Andr. MARTINUM, eodem tempore cum Bordingo in Daniam transeuntem. Est tamen is ipse Theologis annumerandus ad tempus commodatis, de quibus peculiari epistola ad B. Pippingium commentatus est Vir celeberr. D. D. Zeubich; vix enim per biennium ibi subsisterat, cum 1559. Rostochium revocaretur nec Academiæ solum, verum etiam templo Jacobæo præfectus, scribo hæc ex relatione *B. Schützi loc. cit. Part. 1. pag. 187.* Vindicat hic quoque sibi locum D. Jacob. FABRICIUS ex Medic. Profess. Rostochiano, a Rege Daniæ Christiano IV in personæ suæ medicum promotus, & deinceps abs successore ejus Friederico III. clementissi-



me confirmatus. Qui cum 1652. Hassniæ decederet hic Rostochii  
sepelitus est *vid. Matric. Academ. ad b. annum.* Exspiravit nondum  
abhinc triennium, quo vir excellentissimus & experientissimus Dn.  
D. Georgius DETHARDINGIUS Medic. hic Professor celeberrimus,  
& totius Academiae Senior, a potentissimo Daniæ Rege Christiano Vto  
in Hassniensem Academiam avocatus est, ubi nunc ceu Regii  
Consistorii Assessor, & artis Medicæ Professor vivit, quemque  
Numen benignissimum seros per annos florentem ac vegetem  
conservare velit.

HOLSATIA adhuc superest, quæ Germaniæ fines me rursus  
intrare, & singulare ejus ecclesiæ ornamentum D. Stephanum CLOTZIUM  
hic allegare invitatur. Fuit is aliquando celebre Academiae  
nostræ, in qua SS. Theol. erat Professor, & ecclesiæ nostræ mem-  
brum, Archi-Diæconus scilicet Jacobæus. Verum non licuit illi,  
ultra sexennium hic commorari, cum 1636. ad munus Superintendentis  
Generalis Ducatum Holsatiæ & Slesvici, ad Præposituram  
item & Pastoratum Flensburgensem abs Daniæ Rege vocaretur. *vid. S. R. D. D. Epinum l. sepius citato pag. 12.* Ab ecclesia Holsatiæ ad  
Academiam

KILONIENSEM faciendus nunc est progressus, quæ eodem  
sane jure, quo Rosetum nostrum Erphordiam ratione foundationis,  
& Wittebergam quod restorationem ejus concernit, almam nostram  
Metropolin suam vocare & appellare poterit. Tantos enim  
egregios & clarissimos viros ex nostra in suam deduxit Cimbriam,  
eruditorum sui temporis facile Principes, comparandi cum paucis,  
nulli autem postponendi. Splendidissima enim horum virorum  
quadriga, non minimam famam & gloriam illi Musarum sedi con-  
ciliavit. D. Caspar MARCKIUS Medic. & Mathem. hic Professor,  
ad Professionem ibi Medicam obeundam vocatus. M. Matthias  
WASMUTH Logices hic Professor, ibi Græcas literas, Magnus  
ille & ὁ πᾶν, Dan. Georg. MORHOFIUS Poëseos hic Profess.  
Poësin & Eloquentiam, D. Christ. KORTHOLTUS hic Græcar.  
Litr. Professor Theologiam ibi docturi erant. Laudes & merita  
horum virorum commemorare, foret extravagare, sunt enim ita  
comparata, ut vel grandioris molis liber de iisdem conscribi possit.  
Verum nondum satis hoc est ornamentorum, quæ Rostochiensis  
alma



7  
alanae Cimbricae concessit, anno enim 1712. hinc illuc evocabatur memoratus jam supra Illustris SCHOEPPERUS, ut in amplissima Facultate Juridica Professor, ac Principis Consiliarius iustitiae in Judicio Provinciali constitueretur. Dimittebatur quidem a Serenissimo Principe nostro, at non sine omni intentione eum repetendi, ut non donatus Holsatis, sed commodatus videretur, verba sunt Excellentissimi Dni CARMON in *Programmate funebri*. Effluxerat enim vix biennium, cum Serenissimus & Celsissimus Princeps noster eum clementissime revocaret, atque novum ejus honoribus cumulum adjiceret. Nec

BATAVI hujus Academiae nostrae gloriae sunt inexpertes. Optime scilicet de ecclesia Lutherana, quae Amstelodami Christo colligitur, meritus est M. Elias TADDEL, S. S. Theologiae hic olim Professor, & ad aedem Petrinam V. D. M. quem Amstelodamenses Pastorem Primarium voluerunt esse, 1643. dehinc abeuntem, prout intellexi ex *Programmate Magnif. Dn. D. AEPINI, Dissert. Inaugur. S. R. D. D. Taddelii nostri praefixo*.

Talpis sane foret caecior, qui ex tot tantisque exemplis Academiam nostram illustriorem reddentibus, ejus gloriam luce meridiana clariorem perspicere nolle! Quinam enim sunt alii gloriam Academiae sustinentes & amplificantes, nisi illustria ejus membra & Professores? nonne haec arguunt famam, nonne indicant celebritatem, quando aulae Principum Cancellarios & Consiliarios, Respublicae viros, quibus clavum regiminis tradunt, ecclesiae summos antistites & Pastores, atque aliae regiones & Provinciae Theologos, JCros, Medicos & Philosophos, atque tot Academiae aliae ex una sibi Professores suos eligunt & evocant? omnia profecto, haec ita comparata sunt, ut Academiae nostrae gloriam confirment. Hujus etiam gloriae pars ad te hodie devolvitur

## VIR EXCELLENTISSIME, PRÆNOBILISSIME & DOCTISSIME!

dum publicum Professoris munus TIBI dudum promerito conceditur, eamque a Te Academiae huic non solum conservatum sed & adauctum iri, omnes non tam sperant, quam sibi persuadent & prævi-



prævident. Hoc tantum voveo, quod dum alienam gloriam e-  
gregie promovere studes, excellentissimi Tui nominis splendor  
præclarissime jamdiu coruscans, in dies magis magisque excreseat,  
& majora subinde capiat incrementa. Supremus ille omnium A-  
cademiarum stator & conservator TE in Academia nostra docentem  
ita perficiat, istaque felicitate beet, ut maximus inde fructus ac  
largissimus proventus studiosæ juventuti redundet, & quemadmo-  
dum magnus numerus fuit istorum virorum, qui gloriam Acade-  
miæ apud externos illustrarunt, sic ex Tua schola (liceat hoc termi-  
no uti) aliquando viri prodeant, magnis & amplissimis in repu-  
blica officiis admovendi, adeoque & Tui nominis famam excellen-  
tiorum reddituri. Quod ad me attinet, me Tuum profiteor,  
liceat mihi Te esse meum, hoc est Tuo por-  
tatenus favore frui.





pturæ S. aut Libr. Symbol. e contrario adversis se  
falterm nondum publice professum. De reliquo  
fessio hac in Academia administrata, & Doctoris g  
R. Facultas Theologica mastavit, ornamentum nost  
quæstio est a *B. Fechtio in Programmate Inaug. B. H*  
decisa. Majorem gloriam & honorem alma nos  
cuta est, ex doctissimis & Excellentissimis Professio  
recens tunc conditam Academiam Juliam ablegav  
egregia eruditione sua maximam laudem & splen  
fibi, sed &

HELMSTADIO suo contraxerunt. Horu  
nendus est eximius, & multis ex scriptis notissimus  
miæ Professor, & Reipublicæ Syndicus Joh. a BOI  
vitam breviter descripsit *Adami in vitis Jctorum.*  
Illustris Academia Helmstadiensis inaugurata est,  
hanc novam Musarum sedem sibi elegit, malo hic  
*bergii in Chron. Rostock. pag. 171.* loqui, ut magn  
& nominis gloria eo facilius pateat, *ita autem pr*  
*bit, omnium fere Juris antistitum, hac nostra atate*  
*Joannes Borcholtus, qui variis & nunquam interm*  
*minis sui gloriam in florentissima totius Europa reg*  
*buit Reipublicæ salutaribus suis, consiliis, quorum er*  
*liciissimus, multos annos fideliter inservivit.* Parem,  
est, Helmstadiensis ex nostra Academia accepit v  
illum celeberrimum, archigoragorum sapientiæ I  
LIUM, Eloquentiæ hic Professore. Tantum  
tantamque Principis clementiam excellenti pr  
promeritus erat, ut licet humanissime abs Celis  
fuit JULIO Academia Helmstadiensis cond  
let tamen Princeps noster dimittere, usque dum  
Principis HENRICI JULII cederet, & egregium  
Helmstadiensibus Musis inferi pateretur, ad qua  
habita publica oratione valedictoria, deinceps  
hoc vocationis negotium cum biographia Casel  
*nar in der Einleitnng in die Historiam Litter*  
*schon Part. V. pag. 70. seqq.* Devenio nunc ad



lyhiftoꝛem Roftochienfem & Helmftadienfem prout Reimmanno I. e.  
 Part. III. pag. 561. audit, virum cujus egregia merita indigna funt,  
 quæ in obscuro deliteant, vid. *Morbosii Polyhiftoꝛ pag 19. num. 26.*  
 non folum nomine fed & nomine MAGNUM PEGELIUM, Philofoph.  
 & Medicinæ Doct. in hac alma Profef. Publicum, cujus in-  
 venta laudat & *Philofophus de inventis nov-antiquis Cap. VII.*  
*pag. 635. feqq.* in hac alma Juliam huncce virum ad-  
 ductis ex lo. rate annum definire poffim, quo  
 ex nobis est contigiffe abitum ejus cir-  
 ca fine ubi ultimo Reftoratum  
 gef. ejus non amplius inve-  
 n. tum noftro debet Ro-  
 merita Roftochiens-  
 nunc ex circulo  
 M. Pofcit enim  
 Kimii & B. Dav. Chy-  
 Juris Profefioni in  
 alta fcripta nitidiffima, &  
 eficis & lamiis, plus fimplice  
 amigeratiffimus. Evocatus eft  
 Saxoniæ, ubi Confiliarii aulici pro-  
 honore exornatus, varias legationes  
 cum la. am ejus recensentem *Adamum in vitæ*  
*7ctorum.* republica litteraria Academia eft Inſpe-  
 rioris Saxoniæ

LIPSIENS. Lorent in ea merita B. D. Gottlob, Friedr. SE-  
 LIGMANNI, S. S. Theol. Profef. & Paftoris Thomani, quæ & tam-  
 diu apud nos non involventur oblivionis peplo, quamdiu Archi-Dia-  
 conatus Jacobæus, in Academia Profefio Phyfices & Metaphyf. di-  
 gnis vigent fuccefforibus, & fcripta ejus Roftochiensia, quæ cum re-  
 liquis ejus operibus Lipſienſibus a B. Pippingio duobus voluminibus  
 edita funt, a Theologis & Philofophis æſtimantur. Sed eft quæ me  
 ex Saxonia retrahit.

POMERANIA, & in ea primum Camminenfis Principatus, cui  
 Superintendentem generalem miſit Academia Varniaca Georgium  
 VI NETUM, Ducis Pomeraniæ ſimul concionatorem aulicum, antea  
 B 2 heic

